



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

500. An inchoari possit, aut inchoata contra ecclesiam præscriptio currat
sede vacante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quæstio 497. Num Capitulum sede vacante possit accipere mutuo pecunias, eoque nomine ecclesiam, seu ejus bona obligare?

Resp. negativè. Pirh. ad tit. de major. & obed. n. 51. Poterit id tamen pro necessitatibus instantibus ecclesie vacantis, etiam sine Superioris licentia, modo necessitas dilationem non patitur, & sic obligatur ecclesia, & Successor Episcopi, utpote quorum negotium utiliter gestum fuit. Azor. loc. cit. c. 37. q. 13. Pirh. loc. cit. citans Glosfam receptam in c. cupientes. de elect. in 6. Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 27. citans additionator. ad Quarant. sum. Bullar. v. Capit. sed. vac.

Quæstio 498. An Capitulum sede vacante postulare possit subsidium caritativum?

Resp. Capitulum sede vacante pro necessitate ecclesie vacantis sublevando potest postulare subsidium caritativum. Azor. p. 2. l. 9. q. 5. Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 48. Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 83. citans Bellenz. de subsid. charit. q. 7. Item Laym. in c. cum olim. de major. & obed. n. 13. Pirh. ad tit. eund. n. 50. Idem potest de mandato capituli ejusdem Vicarius. Ventrigl. loc. cit. Postulare tamen illud non debet, nec potest capitulum ex causa casum urgentis necessitatis. Laym. Pirh. ll. cit. Neque tamen etiam statuto, vel alia dispositione sua facere potest, ut subsidium caritativum dari solitum minuatur in futurum; cum non possit condere statuta in præjudicium Episcopi, vel ecclesie vacantis; cum ea careat legitimo defensore. Ventrigl. loc. cit. Barbof. n. 84. citans Bellenz. loc. cit. q. 45. Proceditque id ipsam, etsi tale statutum fuisset juramento firmatum, adeò, ut, si unus ex canonicis, qui jurant servare tale statutum, electus fuerit in Episcopum, adhuc possit juramento tali non obstante exigere subsidium non diminutum. Ventrigl. loc. cit. citans Bellenz. q. 45. si enim Episcopus subsidium tale remittere, & clericos, & ecclesias liberare à tali onere nequit, ut Azor. loc. cit. q. 7. quem vide, multò minus id, poterit capitulum sede vacante.

Quæstio 499. Num capitulum sede vacante possit accipere bona Prælati defuncti, aut sede vacante obvenientia?

Resp. Negativè. Prohibetur siquidem c. quia sape. de elect. occupare, aut dilapidare sede vacante bona ad ecclesiam, vel successorem spectantia sub pena suspensionis ab officio & beneficio. Ventrigl. loc. cit. citans Bonac. tom. 1. de suspens. d. 3. p. 5. §. 2. n. 2. Laym. in cit. c. quia sape. in 6. à n. 1. ubi is: capitula, conventus, collegia, & personarum eorum singulares, si aliquid ex bonis à Prælato antecedente relictis, aut sede vacante obvenientibus occupent, inter se dividant, subripiant, aut absumant, suspensio manent ab officio, & quibuscumque beneficiis, donec plene restituant, quod acceperunt. idque non obstante quacunque consuetudine, statuto aut privilegio juxta expressum textum c. quia sape. 40. de elect. in 6. qui sic habet: quia sape contingit, quòd cathedralibus & regularibus ac collegiatis ecclesiis vacantibus capitula, conventus, collegia, & singulares earundem personarum bona à Prælati ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari, occupant, inter se dividunt, subripiunt, dilapidant, dissipant & consumunt in earum præve dispendium & jacturam. Nos ipsorum ausus reprimere, ac ecclesiarum indemnitatibus præcavere volentes, hęcernimus, ut hi, qui præmissa de cetero præsumserint,

eo ipso sint, & tandem maneat ab officio & beneficiis quibuscumque suspensio, donec plene restituerint, quidquid de bonis perceperint supra dictis, non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis aut contrariis consuetudinibus, constitutionibus vel statutis, juramento, confirmatione sedis apostolica, aut alia quacunque firmitate vallatis: quæ omnia quo ad hoc auctoritate apostolica revocamus, cassamus & irritamus, ac nullius deinceps volumus esse firmitatis.

2. Sed neque proventus ii, qui sede vacante ratione jurisdictionis, & sigilli obveniunt, ad capitulum pertinere debent non obstante regulâ Juris §. in 6. qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra: & quòd fructus debeantur jurisdictioni tanquam accessoriis; adeoque qui jurisdictionem exercet, etiam fructus inde provenientes habere debeat. Contrarium namque expressè responsum fuit clem. penult. de elect. Laym. loc. cit. n. 2. ubi etiam addit rationem; quia Capitulum ratione obligationis, & connexionis, quam habet ad ecclesiam, & cum capite ecclesie, ejus bona tueri debet, non perdere, quemadmodum simili ratione mater, & agnati proximi ratione conjunctionis cum pupillo, ejus bona ex pietatis lege administrant, non percepro inde emolumento. Proinde jam etiam Laym. ad citatam regulam juris responderet, eam locum non habere, si onus ex propria institutione, aut naturâ rei annexum est alicui officio sine commo, uti patet in tutela præsertim legitima; item in mandato, quòd gratuitum esse debet l. i. ff. mandati. ita tamen, ut ejusmodi officia non debeant esse damnosa, sed expensæ omnes repeti possunt. Respondet quoque ad alterum, nimirum, quòd si quis nomine suo jurisdictionem exercet, proventus inde provenientes accipere potest; sin autem nomine alieno, ipsi reservari debent; capitulum autem sede vacante jurisdictionem exercet non nisi nomine ecclesie tanquam ejus tutor, administrator, & conservator; adeoque non sibi bona attribuire, sed ecclesie relinquere, & successori reservare debeat. vide de hoc plura infra, ubi de Vicario Capituli.

3. Excipitur nihilominus in citata Clem. penult. nisi quædam singulare personæ sint, quibus ratione dignitatis suæ (quia v. g. sunt Præpositi, aut Decani ecclesie) jurisdictione sede vacante ex consuetudine, statuto, privilegio ita competit, ut interim fructus ex eadem jurisdictione provenientes ipsimet retineant, talis consuetudo reprobatâ censeri non debet. Laym. loc. cit. n. 2. remittens ad c. ult. de off. ordinari in 6.

Quæstio 500. An inchoari possit, aut inchoata contra ecclesiam præscriptio curra sede vacante?

Resp. Non currit, sed suspensâ manet, & quasi dormit eo tempore præscriptio, ita ut tempus vacationis aufertur seu non computari debeat; sed quòd tunc ecclesia careat defensore. Azor. Institut. mor. p. 2. l. 3. c. 39. q. 8. citans gl. in c. 1. de præscript. Abb. & Felin. in c. transmissa. tit. eod. Parm. p. 1. q. 9. Laym. in c. auditus. de integ. restit. n. 3. juxta c. quarta. de præscript. Molin. de just. tit. 5. d. 11. n. 16. Unde jam etiam Capitulum comparare sibi præscriptione nequit jus aliquod in præjudicium ecclesie, aut Prælati, quòd sibi tempore sedis vacantis ex eo competat, quòd in possessione sit utendi eo jure sede vacante. Azor. loc. cit. Molin. cit. n. 16. in fine.

Q. 1

Quæst.